DE
PALLIO
PONTIFICIO
E' B. PETRI CORPORE
Orientalibus conceſſo

DIATRIBA

PEREGRINI MASERI
Foroliuienſis.



ROMÆ,
Typis Bartholomæi Lupardi Impreſſor. Camer. & Vatic. 1678.

SVPERIORVM PERMISSV.

DE PALLIO PONTIFICIO E B. PETRI CORPORE

Orientalibus concesso

DIATRIBA

PEREGRINI MASERII

Foroliviensis.



ROMÆ

Typis Bartholomæi Lupardi, Impressor. Camer. & Vrbis


SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISSIMO D. N.

INNOCENTIO XI.

PONT. MAX.

PEREGRINVS MASERIVS foelicitatem.



PALLIVM Apoſtolicum, de quo in hoc libello diſſeritur, tibi ſiſtitur Beatiſsime Pater. Vt quod olim in Petro, è cuius corpore ſumitur honoris fundamenta poſuit, tuis hodiè auguſtiſsimis humeris circumuolutum, in tanto, ac tali Petri Succeſſore extremum dignitatis culmen attingat. Nullis Occidentalis Patriarchatus terminis definitum, ſed in vniuerſa Eccleſia Romani Pontificis aſſerta iuriſdictione, Orientalium conceſsionū exem-

pla demonstrat longè ante decimum tertium sæculum, ad quod Pallij Apostolici concessiones extrà Occidẽtalem Patriarchatum Neoterici quidam adstrinxerant. Nec sine Numine ea tibi offeruntur Beatissime Pater. A te enim eadem Apostolici Pallij exempla Oriens in tua vota supplex tandèm expectat, cùm Ecclesiasticæ Ditionis reparatis incommodis, Orbique Christiano pace parta, Turcarum Tyranno Redemptionis nostræ spolia eripies. Faxit Deus; Tequè Orbis saluti, Ecclesiæ bono, ac subiectorum fœlicitati diù incolumem seruet.

APPRO-

APPROBATIO.



Illustrissimo, & eruditissimo viro
PEREGRINO MASERIO.

LEgi attentus, atque relegi, Vir clarissime, Diatribam tuam, de Pallio Pontificio, in qua nihil non Catholicum, non eruditum, non maxima ingenij, dicam, facilitate, an fælicitate, solidè firmatum, ac demonstratum reperi. Nullibi doctrina vberior, lectior eruditio, rationum neruus fortior, maior argumentorum copia, & rerum sylua, & quod magis mirer, cuncta hæc in paucas paginas, singulari dexteritate contracta. Tui certè muneris est, lucubrationem hanc, quam non vno, sed mille prælijs dignissimam reputo, non vltra luci publicæ inuidere. Cùm igitur super hoc, me consulas, consilio preces addo, quibus etiam, atque etiam te rogatum velim, vt quamprimùm illam iuris publici facias, nec non deinceps eruditis id genus opusculis, quæ tibi adeò fælicitèr succedunt, doctam, & peritam manum sedulò admoueas, cùm nihil mihi iucundiùs, nihil sacræ literaturæ vtiliùs præstare valeas. Ex Musæo nostro xvij. Kalendas Decembris CIƆCILXXVII.


Totus tibi addictus

Honoratus Fabri.

Imprimatur, ✠ ✠ ✠

Si videbitur Reuerendissimo Patri Sacri Palatij Apostolici Magistro.

I. de Angelis Archiep. Vrb. Vicesg.



Imprimatur,

Fr. Raymundus Capisuccus Sac. Palatij Apost. Mag. Ord. Præd.

ALLIVM Pontificium, quod de Corpore Diui Petri sumitur ab ipso Petro originem sumpsisse, iusque hoc in Romano Pontifice, nullis Occidentalis Patriarchatus terminis definitum, fuisse in omni Ecclesia communis est Theologorum, Canonistarum, & Virorum eruditorum sententia *DD. in cap. significasti de elect. in Rubr. & tot. tit. de authorit. & vs. pall. & in cap. Antiqua de priuileg. & tota distinct. 100. S.Raymund. in Summ. lib. 3. tit. de elect. & vs. pall. §. 5. Saussay de mystic. Gall. Scriptor. tit. de pall. sacr. cap. 1. per tot. Azor. institut. moral. part. 2. lib. 3. cap. 34. quæst. 4. & cap. 35. quæst. 4. Cellot. in Histor. Gottescalci Predestinatiani in not. ad Epist. Lotharij num. 11. & 13. Maucler. de Monarchia Ecclesiast. & secular. part. 2. lib. 5. cap. 3. antè fin. Bouer. in censur. lib. 3. cap. 11. Coccius Thesaur. Catholic. lib. 7. art. 19. Hallier. de sacr. elect. sect. 6. §. 2. num. 6. & de Hierarchia Ecclesiast. lib. 4. art. 3. §. 9. Card. Bona rer. liturgicar. lib. 1. cap. 4. sub num. 16. Altesserra in Decretal. Innocent. III. ad cap. nisi specialis de authoritat. & vs. pall. Gonzalez. in cap. 1. num. 8. illo eodem tit. Ianus à Costa post Florentium ad eundem tit. de authorit. & vs. pall. Augustinus Barbosa de Off. & potest. Episc. part. 1. tit. 3. ex num. 19. P. Leo in tract. de authorit. & vs. pall. Pontif. cap. 6.*

Ratio istius assertionis est, quod nempè cùm pallium Pontificium designet plenitudinem Iurisdictionis, & Pastoralis officij, atque vnionem denotet aliarum Ecclesiarum cum Romana omnium capite, & matre, desumi non potest, nisi è Sede Petri, è cuius corpore pallium transmittitur; quia licèt Episcopatus quoad ordinem immediatè sit à Deo; quia caracter vtpotè res spiritualis nonnisi ab illo esse potest, iurisdictio tamen totius ordinis Episcopalis iure ordinario saltem mediatè est à Romano Pontifice Episcoporum omnium Capite ex iurisdictione, quam Petro Christus concessit *Ioann. 21. Marc. 16. Luc. 22.* ipsasque antiquas Patriarchales Orientis Ecclesias Petrus fundauit, in quas posteà Romani Pontifices Petri Successores plenam iurisdictionem ab initio Ecclesiæ semper exercuerunt, non solùm pallia concedendo, quod est longè minùs; Sed Patriarchas creando, confirmando, deponendo, excommunicando, absoluendo, & ad suas Sedes restituendo, quod nemo negare potest, & apparet ex Epistolis Pontificum, actis Conciliorum, & Ecclesiastica Historia, de quibus aduersùs Hæreticos, & Schismaticos Primatum Papæ impugnantes *Bouerius in censur. lib. 4. cap. 4. Petauius Theolog. dogmat. tom. 3. lib. 3. de Eccles. Hierarch. cap. 7. Becanus de Repub. Ecclesiast. lib. 3. per tot. Bellarminus controu. tom. 1. de Romano Pontif. lib. 4. cap. 24. & 25. Leo Allatius de Eccles. Oriental. & Occident.*

 consens.

consens. lib. 1. cap. 2. 11. 12. 13. 19. & seqq. Albertus Pighius aduersus Erasmum lib. 14. de Primat. Aluarez de planct. Eccles. lib 2. cap. 19. Cardinalis Hosius in Opusc. ul. de authoritat. Pontif. per tot. inter opera eiusdem in fin. Author. histor. Pontif. lib. 2. cap. 2. Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus in defensione Synodi Florentinæ cap. 5. de Primatu Papæ, Honuphrius Panuinus in Opusc. de Primatu Petri, & Apostolicæ Sedis potestate, Baldassar Narsius in Vindicijs pro Primatu Papæ, Andreas Duallius de Suprema Romani Pontificis potestate, Azorius instit. moral. par. 2. lib. 3. cap. 35. quæst. 1. cap. 36. quæst. 5. Antonius Augustinus Epitom. iur. Pontif. lib. 2. tit. 25. Augustinus Barbosa de off. & potest. Episc. part. 1. tit. 3. cap. 1. Gonzalez in cap. antiqua de priuileg. P. Lupus in Dictatu S. Gregory VII. Can. 1. & seqq. in not. & Schol. Concilior. tom. 4.

Sæculum I. His præmissis ad exempla aliqua in Oriente vix minora numero iis, quæ his seculis habemus in Occidente, sed pondere rerum longè meiora descendens, Apostolicum pallium originem sumpsisse à D. Petro, à quo Maternus Treuirensi Ecclesiæ ab eo missus, donatus fuerat ex traditione, & more Treuirensis Ecclesiæ refert *Rupertus lib. 1. de diuin. offic. cap. 27. in Bibliothec. Patrum tom. 10.* Linum itidem Secundum post Petrum Pontificem illud in singulare potestatis priuilegium Præsulibus dedisse ex Diuo Maximo, & Eusebio Cesariensi tradit Christophorus Marcellus Archiepiscopus Corcyrensis in Opusculo Sacrarum Ceremoniarum, qui etiam Author antiquus Rituum Ecclesiasticorum dicitur *lib. 1. tit. 10. cap. 5.* Confirmant eadem, & sequuntur *Isidor. Moscon. de Maiest. milit. Eccles. part. 1. lib. 1. cap. 8. pag. 325. littera B. Acunha in decret. Grathan. dist. 100. in princ. num. 12. Dorus de benef. sect. 1. cap. 3. col. 18. lit. B. Coquaus in Antimornæo opposit. 5. in princ. tom. 1. Durantes de Rit. Eccles. lib. 2. cap. 9. num. 42. Mauclerr. in Monarchia Eccles. & Secular. part. 2. lib. 5. cap. 3. ante fin. Crespetius in Summa Ecclesiastica V. Pallium Marchin. de Ordine tract. 4. cap. 9. num. 1. Bagnus de S. R. E. Dignitatibus tract. 14.* Clementem itidem I. lege statuisse vestium vsum in Missæ Sacrificio Episcopos pedo sacro, Amictu Sandalibus, & Chirotecis ornasse, Archiepiscopos item pallio, ex quorundam testimonio refert *Oldoinus in Addition. ad Ciaccon. in Clementem I.*

Sæculum II. III. Sæuientibus deinceps persecutionibus aduersùs Christianos non opus est quærere exempla Pontificiæ Iurisdictionis in Ecclesias Orientis quoad hæc pallia, cùm notum sit post tertium sæculum, quo Constantinus pacem reddidit Ecclesiæ legum Ecclesiasticarum, & Rituum Catholicorum decreta solummodò sumi posse post congregatum celebre Nicænum Concilium Anno Christi CCCXXV. Anteà

enim, vt aduersùs Regem Angliæ scripsit Cardinalis Peronius Ecclesia occupata fuit, vt lapsos ad Idolorum cultum repararet, atque Confessorum cadauera sepeliret. At qui in Pallio Apostolico quid diuersum ab alijs Ecclesiasticis Ritibus adhuc agnoscitur; quód nempé Concilia per totum Orbem in quarto Sæculo post redditam pacem Ecclesiæ, & deinceps celebrata de ijs omnibus plura decreuerint, nihil verò de pallio isto. Itá vt obscuriori antiquitatis nube Apostolici pallij historia tegatur. Ea autem ratione, nulla Concilia de hoc Pallio Apostolico statuunt, nisi tertio decimo sæculo (cúm Synodus VIII. & aliæ Orientales referantur, ad Græcorum Episcoporum Omophorion) vt infrá dicam, quia nempé ius hoc pallij concedendi fuit solius Romani Pontificis, à cuius concessione totum pendet, nullis Conciliorum decretis alligatum, vt Panormitano Archiepiscopo Paschalis II. rescripsit, & habetur *in cap. significasti de rescript.* Aptè quidem *Tertullianus de Corona militis: Hanc si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit.* -- Hinc Gregorius de antiquissima longé ante sextum sæculum, quo vixit consuetudine, *lib. 7. epist. 5. relat. à Gratiano Can. 2. dist. 100.* -- *Prisca consuetudo obtinuit, vt honor Pallij nisi exigentibus causarum meritis, & fortitèr postulanti dari non debeat.* -- *Ianus à Costa post Florent. in decretal. ad tit. de authorit. & vs. pall. §. etsi verum amamus, Card. Bona Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 14. num. 16. ad fin.*

Ad quartum itaque sæculum post Nicœnum Concilium reddita iam pace Ecclesiæ referuntur exempla, quæ de pallio Apostolico succedunt priori sæculo. Etenim in Oriente non solúm, sed in Occidente vsque ad D. Marci Pontificis tempora anno Christi CCCXXXVI. Pallij Pontificij mentio in Ecclesiasticis fastis desideratur. Tunc verò Pontifex ille concessit, vt Episcopus Hostiensis pallium gestaret: *Anastasius Bibliothecarius, Platina, Bordinus, Ioannettus, Giacconius, & alij in vitis Pontificum in Marcum I. Binius, Labbè, & alij Collectores Conciliorum in eundem Marcum I. Baronius Annal. Ecclesiast. anno Christi 336. Bonerius in Censur. lib. 3. cap. 11. §. Cæterum, Author Histor. Pontif. lib. 1. cap. 2. num. 17. P. Leo tractat. de authorit. & vs. Pall. cap. 6. Dominicus Magrus in Hierolexicon verb. Pallium, Ianus à Costa post florent. in decretal. tit. de authorit. & vs. pall. §. quærunt eruditi Acunha in decret. Gratian. dist. 100. in princ. num. 12. Coquens in Antimorneo oppositiou. 5. tom. 1.* Comprobauit Ecclesia in lectione Diui Marci 7. Octobris pallij huius concessionem Hostiensi Episcopo memorans. (Sæculum IV.)

Post quartum veró sæculum, & in initio quinti, quibus exempla habemus (Sæculum V. VI.)

mus in Occidente, habemus etiam in ipsis Patriarchatibus Orientis, in quibus authoritate Pontificis Romani pallij vsus, Patriarchis ipsis permittebatur, quovsque post nonum sæculum minis, & vi Orientalis Imperatoris permisso migrauit in priuilegium. Luitprandus in relatione suæ Legationis Orientalis legatione sua secunda ad Nicephorum Phocam Imperatorem verba hæc faciens -- *Sed quid commemorem cum ipsa Constantinopolitana Ecclesia nostra Sancta Catholica, atque Apostolica Ecclesia Romana meritò sit subiecta. Scimus, imò videmus Constantinopolitanum pallio non vti, nisi Sancti Patris nostri permissu* -- Historiam Luitprandi sequuntur, & approbant *Baronius, Saussay, Goarius, Author Histor. Pontif. Spondanus, Bonerius, Dominicus Magrus, Marcus Antonius Capellus, Bollandus, Bzonius, Coffetteau, Franciscus Archiepiscopus Rothomagensis, Franciscus Florens, & P. Lupus inferiùs adducendi in nono sæculo.* Neque vnius potiús Patriarchatus Constantinopolitani morem fuisse credendum est, vt dicebat idem *Florens ad Decretal. de authorit. & vs. pall. pag. 327. §. Patriarcha autem*; quin potiùs in alijs Patriarchatibus idem mos inualuerit exemplo, ducto ab ipso Constantinopolitano ob Sedem Imperialem omnium licèt iniustè eminentiori, qui iam in quinto sæculo vniuersalis Patriarchæ nomen sibi arrogauerat. Patet id ex Gregorio Magno *lib.4. epist.32.& 36.* Quinimò anno Christi ƆDLI. in Concilio Chalcedonensi OEcumenico *Canon. IX. & XXVII.* in reliquos Patriarchas, atque in authocephalas Prouincias arrogatam sibi authoritatem Canone Ecclesiastico stabilire conatus fuerat Constantinopolitanus Patriarcha, sibi ipsi post Romanum Pontificem secundum locum vsurpans. Exemplis verò id ostendam vsque ad decimum tertium sæculum in alijs Patriarchatibus.

Antè quintum sæculum expletum Flauitas, quem & Flauianum alij appellant, post Acacium, malis artibus Constantinopolitanum Episcopatum suscepit. Vt autem videretur Catholicus Felicis Romani Pontificis communionem affectans, non consensit sine Romano Pontifice inthronizari, sed transmisit Synodicam Papæ Romano Felici. *Liberatus Diaconus in Breuiar. cap.18. Baronius, qui ad annum 488. historiam refert in Annal. Ecclesiast. eod. anno.* Patriarchæ igitur ad instar Latinorum Metropolitarum ante acceptam Romanam Confirmationem, adeóque & Româ missum pallium, nequibant in Throno sedere, aut exercere functiones Episcopales. His verbis loquitur *P. Lupus ad Can. 27. VIII. Synodi §. Scio exempla in not. & Schol. ad Concil. tom.2.* Id ipsum fatetur Marcus Antonius de Dominis olim Archiepiscopus Spalatensis, licèt inuitus, ac in diuersum sensum detorquens, vt apud Coffetteau, qui aduersùs illum scripsit in Sacra

 Monar-

Monarchia *lib.3. cap.11. num.* 17. verba Spalatensis hæc sunt: -- *An verò Pallij vsum habuerit nescio effectum pallij video, & si pallium fuit necessarium certè, & pallium habuit.* --

Hinc parùm refert, quod à quarto vsque ad octauum sæculum frequentia exempla pallij Pontificij Orientalibus concessi non habeamus; Tùm quia si pallij vsus necessarius fuit ab initio, posito exercitio iurisdictionis, pallium ipsum est supponendum, vt dixi. Tùm quia adfuerunt, vt plurimùm hæreses, schismata, & dissensiones, quibus Orientales Ecclesiæ á Romana omnium Matre diuulsæ fuerunt, quibus ideó temporibus, nec iurisdictio, nec pallium, nec ipsa communio cum Romana Ecclesia permittebatur; ac denique quia iniuriâ temporum, vel negligentiâ Scriptorũ rem clarissimam omittentium, vel aliâ de causâ in ipso Occidente, ac in Regionibus ipsis Vrbi finitimis, pauca his sæculis supersunt exempla, quæ recensent Canonistæ *in tit. de authoritat.& vs.pall.& in Decret.Gratian.dist.*100, benè *Goar. in notisad Ritual.Græcor.tit.de ordination.Episcop.pag.*312. Exactiùs omnibus, *Florens in Decretal. tit. de authorit. & vs. pall. ex §. Verissimum pag.*320. *& seqq.*

Adhùc tamen volunt aliqui Gregorium Magnum in sexto sæculo Pontificem renunciatum Anastasio Patriarchæ Antiocheno pallium se traditurum professum fuisse ad Altare B.Petri, ad quod illum celebraturum vocauit. Verùm quidem est, quod vsus pallij Consulto Imperatore habebatur aliquando non solùm in Oriente, sed & in ipso Occidente, & in Romano Patriarchatu, vt dicam post XIII. Sæculum, ideòque Gregorius suggestionem fecit apud Imperatores, vt vsum pallij permitterent Anastasio ad Altare Diui Petri celebraturo. Colligunt ex *Gregorio lib.* 1. *epist.* 27. *Author Historia Pontificia lib.2.cap.2.num.*17. *Marcus Antonius Capellus de Pontificatu B.Petri,& successione Episcòpi Romani disputatione posteriori pag.*181. *§.Certè Sedes, & alij.*

Adducunt aliqui exemplum eiusdem Gregorij, qui intrà fines Patriarchatus Orientalis pallium concesserit Andreæ Episcopo Nicomediensi; vel Nicomeditano *lib.* 5. *epist.*7. Sanè ita habent *Codices vetustissimi m. s. Vaticanus* 4907. *pag.* 177. *Indictione xiv. epistolarum Gregorij, & Codex Vrbinas in eadem Vaticana Bibliotheca asseruatus* 136. *eadem Indictione xiv. pag.* 111. *&* 112. cum quibus concordat editio earumdem epistolarum Romæ sub Innocentio IX. exactè collatis Codicibus habita. Coniectura autem in recentissima Lutetiæ Parisiorum anno MDCLXXV. editione operum S. Gregorij in notis ad hanc epistolam mihi non probatur, quòd nempé epistola ea de Nicomediensi Episcopo intelligi non possit, quia non licuisset Ro-

mano Pontifici mittere pallium intrà limites aliorum Patriarchatuum, quia licèt veluti Romano Patriarchæ id vetitum fuisset, adhùc tamen tanquàm Christi Vicario, & Petri Successori id licuisset ea Suprema potestate, qua vniuersalitèr in omni Ecclesia Papa pallia transmittere potest, etiam post Concilium Lateranense sub Innocentio III. *in cap. antiqua de priuileg.* in quo concessum est Patriarchis Orientalibus, vt post receptum Romæ pallium suis Suffraganeis illud concedant in suis Patriarchatibus, quia adhúc Papa illud in ijsdem Patriarchatibus concedere potest, vt præ alijs *Cardinalis Hostiensis in Summa tit. de auth. & vsu pall. num.4. Abbas Panormitanus in cap. significasti num. 9. de elect. cum alijs in princ. adductis.*

Sæculum VII. VIII. Ad septimum verò, & ad octauum sæculum accedentes restituto à Ioanne VIII. Photio Patriarchæ Pallium transmissum ab Vrbe fuit. Habetur id in Actione 1. Pseudosynodi ab eodem Photio Constantinopoli coactæ, cuius græca exemplaria seruantur in Vaticana, & Columnensi Bibliotheca teste Baronio, & in Codice Bauarico Augustano teste Radero. Eiusdem Pseudosynodi acta à Federico Mætio in latinum versa sermonē summatim recensuit *Baronius in Annal. Ecclesiast. anno Christi* 879. atque ex eo Binius, Labbè, & Cossartius, alijque Collectores Conciliorum in hac Synodo Photiana sub Ioanne VIII. Quod verò dubitet Baronius, & ex eo alij Synodum hanc à Photio impostore confictam, vel suo marte auctam, & mutilatam fuisse nihil ad rem, quia etsi oscitantèr Photius iactauerit à Ioanne VIII. sibi pallium, aliauè ornamenta pontificalia transmissa fuisse, vt verus Patriarcha haberetur ab omnibus, id tamen æquè ostendit pallium à Romano Pontifice ijs sæculis solitum fuisse concedi orientalibus ipsis Patriarchis. Ex Codice Columnensi 41. translata à Mætio Synodus Photiana olim apud Baronium, vt ipse testatur, nunc verò habetur in Bibliotheca PP. Oratorij S. Philippi Nerij m. s. litt. C. num. 31. Actionis prima verba refero pag. 106. & seqq. *Quod verò habeat ipsum Dominum Photium Sanctissimum Patriarcham instar animæ suæ Dominus noster Apostolicus, & quod sit cum ipso vnus Spiritus, & vnum Corpus, & quod habeat ipsum fratrem, & Comministrum suum, etiam hæc ipsa, quæ ab eo illi missa sunt pontificalia ornamenta id testantur apertè. Hæc enim de Causa illa ipsi misit, vt omnes homines apertè cognoscant, quod Fratrem, & Comministrum illum habet. Et hæc cum dixisset surrexit, & dedit Domino nostro Photio Pontificalia ornamenta indumenta illi missa à Sanctissimo PP. Ioanne, Pallium videlicèt Alba, Casula, & Sandalia. S. Synodus dixit si iubet Sanctitas Vestra videamus ea singula, quæ cum accepisset religiosissimus Presbyter,*

sbyter, *& Cardinalis vnà cùm illis, qui cum ipso aderant Deo dilectissimi Episcopi, & reliqui Romani in conspectu Synodi illa ostendit*. Hæc eadem de Photio Patriarcha Constantinopolitano, cui pallium à Ioanne VIII. missum fuit, tradunt ex hac Pseudosynodo pro Confirmatione Pallij Pontificij Orientalibus concessi *Pannimius in interpretatione multarum vocum Ecclesiasticarum V. Pallium. & Author Histor. Pontif. lib. 2. cap. 2. num. 17.* In octauo sæculo prior lex pallij in Concilijs quoad omophorion Græcorum, de quò infrà post XIII. sæculum.

Nono sæculo exacto Ioannes XI. appellatus concessit, vt Constantinopolitanus Patriarcha perpetuis temporibus pallium sibi sumeret, alijsqué concederet. Etenim Triphon Monachus hac conditione renunciatus est Patriarcha Constantinopolitanus, vt post certum tempus Theophilacto Constantini VIII. Imperatoris filio puero adhùc, vltrò Sede cederet. Cessit itaqué Tryphon, & Theophilactus annos sexdecim natus adhùc sub Pedagogis Constitutus venationibus, ac lasciuijs implicatus in Patriarchatu successit *Cedrenus in Compend. histor iar. cap. 244. & 247. Zonaras Annal. tom. 3. in Imperio Romani Lacapeni, & in Imperio Constantini filij Leonis*. His malis auspicijs Constantinopolitanæ Ecclesiæ inchoato regimine verisimile est ijsdem violentijs conseruatum. Historiam refero ex Luitprando in relatione Legationis suæ secundæ ad Nicephorum Phocam Imperatorem verba hæc faciens: *Verùm cum impijssimus Albericus, quem non stillatim cupiditas, sed velut torrens impleuerat Romanam Ciuitatem sibi vsurparet Dominumquè Apostolicum, quasi seruum proprium in Conclaui teneret, Romanus [Orientis] Imperator filium suum Theophilactum Eunuchum Patriarcham instituit. Cumquè eum Alberici cupiditas non lateret missis eò muneribus satis magnis efficit, vt ex Papa nomine Theophilacto Patriarcha littera mitterentur, quarum authoritate, tùm ipse tùm alij successores absque Paparum permissu pallijs vterentur*. Luitprandi narrationem omnes sequuntur: *Baronius Annal. Eccles. anno Christi 934. Saussay de mistic. Gall. Scriptor. tit. de pall. Sacr. cap. 2. §. quoad primum in fin. & §. Caterum Goar in Ritual. Gracor. tit. de Episcop. ordinat. pag. 312. & 313. Author historia Pontificia lib. 2. cap. 2. num. 17. Dominicus Magrus in Hierolexicon V. Pallium Bouerius in Censur. lib. 3. cap. XI, §. at in primis, §. Dixeras, & seqq. Marcus Antonius Capellus de Pontificatu D. Petri, & successione Episcopi Romani disputatione posteriori pag. 180. §. Tu suburbicari Bolland. in Actis Sanctorum die V. February in Vita S. Polyeucti Patriarcha C.P. cap. 6. num. 32. Bzouius in Romano Pontifice cap. 33. §. quoad Creationem Spondanus in Epitom. Annal. ecclesiast. eodem anno 934.* latè historiam examinat, & defendit

Sæculum IX. X.

defendit Coffetteaù aduerſus Marcum Antonium de Dominis *in Monarch. Sacr. lib.3. cap.*XI.*num.26. §.Hinc iam eſt, & num.31.& 33. §.ipſi Spalatenſis, & §. Reſiat ponderandum. Franciſcus Archiepiſcopus Rothomagenſis in hiſtor. Euangelij lib.2. pag.305. Florens in decretal.ad tit.de author.& vſ.pall. pag.22. & 23. §.Quod magis, & §. Patriarcha P.Lupus ad Canon.27. Synodi VIII. §.Papalis in not.& Schol. Concilior. tom.* 2. Vnus Marcus Antonius de Dominis reliquis audacior hiſtoriæ Luitprandi fidem negare voluit; quià erat Scriptor latinus ac Romanæ Eccleſiæ addictus, eiuſque Legatus. At ſi hoc eſt, omnibus Latinis Scriptoribus fidem negabunt Græci, noſquè Græcis è conuersò. Sané quoad hoc pallium Græci ipſi fatentur Romanæ Sedis prærogatiuam nobis minus infenſi, quàm Archiepiſcopus Spalatenſis, vt in Phrygio D. Cyrilli Alexandrini Patriarchæ infrà videbimus poſt XIII. ſæculum. Sat erit modó conſiderare non in Eccleſia S. Petri de Vrbe, ſed Conſtantinopoli coram Imperatore Orientis adſtantibus Græcis Proceribus ius Romani Pontificis in pallio concedendo Orientalibus aſſertum fuiſſe.

Cùm autem non omnibus Epiſcopis, ſed ijs ſolùm quibus etiam in Oriente Omophorion vſus indultus fuerat Statis temporibus coarctatus fuiſset in antecedenti ſæculo, in quo celebrata fuit VIII. Synodus Occumenica Conſtantinopolitana IV. Canon. 27. ex hac poſteà conceſſione Ioannis Pontificis abuſus inualuit apud Græcos Epiſcopos pallium indiſcriminatìm gerendi, quod omnibus Epiſcopis Græcis hodiè conceditur in eorum ordinatione, de qua *in Rituali Græcorum cum notis Goar tit. de ordinat. Epiſcop. pag.*305. Luitprandus mox laudatus -- *ex quo turpi commercio vituperandus mos inoleuit, vt non ſolùm Patriarcha, ſed etiam totius Græciæ Epiſcopi pallijs vtantur. Quod quàm ſit abſurdum cenſere opus non eſt -- Baronius Annal. Eccleſ. anno Chriſti* 934. *Spondanus in illor. Epitom. illo eodem anno, Goar in not. ad Ritual. Græcor. tit. de Epiſcop. ordinat. pag.* 312. & 313. *Franciſcus Archiepiſcopus Rothomagenſis hiſtor. euangel. lib.* 2. *pag.* 305. *in fin.* & 306. *Sauſſay de Miſtic. Gall. Scriptor. tit. de pall. ſacr. cap.* 2. *ſub §. Cæterum, Bouerius in Cenſur. Paroenetic. lib.* 3. *cap.* 11. §. *Sed inquis Author hiſtor. Pontif. lib.*1. *cap.*2. *num.*17. *in fin. Dominicus Magrus in Hierolexicon V. Pallium.*

Sæculum XI. XII. Vndecimo, & Duodecimo ſuccedentibus Sæculis Innocentius II. anno MCXXVIII. Pontifex Romanus intrá limites Patriarchatus Orientis pallium dedit Archiepiſcopo Tyrenſi, & quod notatu dignum eſt more Prædeceſsorum. Adeſt *Epiſtola* 4. *Innocentij II. inter Concilia Binij, & Labbè. Ex hiſtoria Vuillelmi de bello ſacro, Bouerius in cenſura aduerſus Marcum Antonium de Dominis lib.* 3. *cap.* 11. *Coffetteaù*

fetteaù aduerſus eundem lib. 3. cap. 11. num. 28. ſub §. Nunc de Antiocheno, idem Franciſcus Florens in Decretal. tit. de Author. & vſ. pall. pag. 26. §. Quin & Metropolitani. Agnouit exemplum, & Prædeceſſorum conſuetudinem, *P. Lupus in Can. 27. Synod.* VIII. *§. Idem mos in not. & Schol. ad Conc. tom. 2.*

Exacto Vndecimo Sæculo Radulphus Mamiſtanus, Bernardo Patriarcha Antiocheno defuncto pallium de Altari Antiocheno B. Petri nulla ad Eccleſiam Romanam habita reuerentia ſibi aſſumpſit; At quod ſingulare eſt Romam ab Innocentio II. accerſitus reſignato pallio, quòd idem Patriarcha de Altari Antiochenæ Eccleſiæ ſua ſibi ſumpſerat authoritate in iniuriam, vt dicebatur Sedis Apoſtolicæ, & Cardinalibus tradito, aliud ei ſumptum de Corpore B. Petri more ſolemni per priorem Diaconum traditur. *Ex Vuillelmi Tyrij hiſtoria de bello ſacro lib. 14. cap. 10. & lib. 15. cap. 13.* narrationem hanc habuerunt *Baronius, qui ad annum* 1136. *Hiſtoriam refert Annal. Eccleſ. illo eod. anno* 1136. *Alteſſerra in Decretal. Innocentij III. in cap. niſi ſpecialis de author. & vſ. pall. Bouerius in Cenſur. lib. 3. cap. 11. Coffeteaù aduerſus eundem Archiepiſcopum Spalatenſem in Monarch. Sacr. lib. 3. cap. 11. num. 28. §. Nunc de Antiocheno, idem Lupus ad Canon.* VII. *Synodi* VII. *§. Idem mos in not. & Schol. ad Concil. tom. 2.*

Tanta autem ſuperbia freti Patriarchæ Orientales, ob Orientalium Imperatorum vim, notoque ſchiſmate à Romana Eccleſia omnium matre diuulſi pallium Apoſtolicum à Sede Petri non petebant, quouſquè in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. abuſus ſublatus fuit. Hiſtoriam Orientalis expeditionis, & ſacrarum iuſſionum ex Comitis Pauli litteris ad Brabantiæ Ducem apud Godefridum S. Pantaleonis Colonienſis Monachum, refert *P. Lupus ad Canon. 27. Synodi* VIII. *§. Papalis in not. & ſchol. ad Concil. tom. 2.* Anno itaque Chriſti MCCXV. Congregatum eſt Romæ in Laterano ſub Innocentio III. Concilium Oecumenicum XII. Lateranenſe IV. in quo Statutum eſt, vt poſt quàm Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus Patriarchæ pallium à Pontifice Romano receperint illud ſuis Suffraganeis largiantur, & habetur *in cap. antiqua de Priuileg.* Hoc autem Iure hodiè vtimur *Abbas Panormitan. in Rubr. de Authoritat. & vſ. pall. num. 2. & in cap. ſignificaſti num. 9. de elect. Hoſtien. in Summ. illo eodem tit. num. 4. Syluester in Summ. V. Pallium, & V. Patriarcha, Azorius inſtitut. moral. par. 2. lib. 3. cap. 34. q. 4. cap. 35. q. 4. cap. 36. q. 2. Iacobatius de Concil. art. 12. de Cardinal. & Patriarch. pag. 35. & 45. vol. 2. Hallier. de Hierarch. Eccleſiaſt. lib. 4. art. 6. §. 7. Fi-* Sæculum XIII.

nizanus

uizanus de Rit. deferendi Crucem cap. 12. Sauſſay de Miſtic. Gall. Scriptor. tit. de pall. ſacr. cap. 2. ſub §. quoad primum Zecchius in Rep. Eccleſiaſt. tit. de Patriarch. ſub num. 5. Ianus à Coſta poſt Florentium in Decretal. tit. de authoritat. & vſ. pall. in fin. §. non ſolum Auguſtinus, Barboſa de offic. & poteſtat. Epiſc. par. 1. tit. 3. cap. 1. num. 19. & ſeqq. P. Leo tractat. de authoritat. & vſ. pall. Pontif. cap. 6. num. 8. & ſeqq. Cabaſſutius in Theoria Iur. Canonic. lib. 5. cap. 7. num. 15.

Vſus eſt hac facultate Innocentius III. qui Pontificium pallium miſit Primati Bulgarorum, & Patriarchæ Conſtantinopolitano. Ex Franciſco Boſquetto in vita Innocentij III. notauit *P. Lupus in Canon. 27. Synodi VIII. §. Porrò diebus in not. & Schol. concilior. tom. 1.* lateranenſis Synodi decreto vſus eſt Honorius III. ſucceſſor Innocentij ad Conſtantinopolitanum Patriarcham in cauſa pallij Apoſtolici, ſcribens, & Gregorius IX. in Pontificatu ſequens Archiepiſcopo Armenorum illud miſit *Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. anno Chriſti 1218. num. 25. & anno 1239. num 83.*

Neque his omnibus reſiſtunt exempla Eccleſiarum Alexandrinæ Antiochenæ, & Bizantinæ, è quarum Altari Patriarchæ ſibi pallia ſumebant ex Liberato Diacono *in Breuiar. cap. 2. & Photio in Biblioth. in Actione metrophanis Patriarchæ Conſtantinopolitani Cod. 256. in med.* De Eutychio Patriarcha Surius in actis Sanctorum *die 6. Aprilis Baronius Annal. Eccleſiaſt. anno Chriſt. 553. in princ.*

Etenim hæc omnia, & ſi quæ alia procedunt in pallio diuerſo à Pontificio, de quo agimus, quod omophorion Græci dicebant apud ipſos geſtari ſolito, quod forma non reſpondebat iuxta aliquos pallio Pontificio, vel ſi quandoque reſpondit, huic certè non repugnauit, ſed adhuc compatiebatur cum noſtro, quod præterea ex priuilegio Romanæ Sedis in Oriente ſapientiſſimè conceſſum eſt; vt probaui. Omophorion hoc Græcorum paſtoritiam pellem dixit ſexta Synodus in Synodica Miſſa Agathoni Papæ Action. 18. *Anathematibus iuſtè ſubiecimus, & eos, qui viuunt hæreticorum ſuſcepta impietate Macarium, qui fuit Antiochenſium magnæ Vrbis Epiſcopus, quem & Paſtoritia pelle merito denudauimus.* longum indumentum vſq; ad talos demiſſum ſupponit Zonaras, quî in vita Conſtantini Copronimi, ait Anaſtaſium inſiſtentem veſtigijs Germani Patriarchæ Omophorion eius calcaſſe, vt cum admoneret, nè feſtinaret. Ex *Liberato itidem Diacono lib. 18. Breuiar. cap. 18.* hoc ipſum colligitur cùm ſcribit ſententiam damnationis à Felice Papa III. aduerſus Acacium Conſtantinopolitanum Patriarcham latam, quam is recipere noluerat pallio eius alligatam fuiſſe à quodam Monacho cùm Acacius ad celebranda Sacra ingrederetur. Ad ſolos Metropolitas

Exar-

Exarchos, & Patriarchas Græcos restrictà non videtur lex lata de hoc Omophorion Græcorum in Synodò octaua Canon. 27. quin potiùs pastoralis officij, quàm Supremæ iurisdictionis insigne illud ostendit. Sacerdotibus ideò hoc est Episcopis Græcis commune fuisse huius vestis genus, videtur ex *Isidoro Pelusiota lib. 1. epist. 136. & ex Theophane in libro qui Historia Ecclesiastica, & Mistica speculatio inscribitur*, de Sacerdote, seù Pontifice loquentibus. Adeòvt omophorion Græcorum non repugnauerit pallio Pontificio, cùm nec idem quod pallium Pontificium repræsentauerit exteriùs, nec significauerit interiùs. Confirmant hæc omnia *Ferrarius de re vestiaria cap. 17. post princ. §. demùm; Menardus in libro Sacramentorum Diui Gregorij Papæ pag. 140. linea 17. §. eligitur*, & apud ipsum *Menardum pag.* 314. latè & benè *Coffeteau aduersus Marcum Antonium de Dominis in Monarch. Sacr. lib. 3. cap. 11. num. 5. §. Quod attinet num. 8. §. Pallium quoque num. 15. §. Addit Spalatensis num. 27. §. hac tam clara, Morinus de sacris ordinationibus in notis ad Græcas ordinationes num. 19. & seqq. Bonerius in Censur. lib. 3. cap. 11. P. Leo in tractat. de anth. & vs. pall. Pontific. cap. 6. num. 11. & seqq. Godr in Ritual. Græcor. tit. de Episcop. ordination. pag. 312. & 353.*

Confirmantur hæc omnia euidentissimo argumento, vt nempè pallium, quod sumebat Alexandrinus Patriarcha è Corpore D. Marci, vel si quis alius non esset iurisdictionale repugnans pallio Pontificio ex eo, quod si pallium, quod sumebat antiquitùs Patriarcha Alexandrinus talis fuisset, ab eo tantùm integram iurisdictionem, & dignitatem auspicatus fuisset, non autem à phrygio Pontificio, siuè illud mitra fuerit, siuè pallium, iuxtà diuersas Scriptorum sententias, à quo tamen phrygio, quod Cælestinus I. concessit Cyrillo Patriarchę Alexandrino deriuauit mos in Alexandrinis Patriarchis in signum iurisdictionis collatæ, & dignitatis auctæ, vtendi in sacris solemnibus more Romani Pontificis eodem phrygio, & assumendi nomen Papæ, *Theod. Balsamon Patriarcha Antiochenus in Nomocanon Photij tit. 8. cap. 1. & in respons. de Patriarch. Priuileg. colum. 9. ad fin. apud Leunclau. Iur. Græco-Roman. tom. 1. pag.* 450. *Cardin. Bona rer. liturgicar. lib. 1. cap. 24. sub num. 14. Saussay de Mistic. Gall. Scriptor. tit. de pall. sacr. cap. 2. sub §. quoad secundum de more Patriarcharum Alexandrinorum, Spondan. in Baron. epitom. anno* 430. *sub num. 3. Bin. in not. ad vitam S. Marci V. Pallio vteretur, Baron. in Martyrolog. Roman. 10. Ianuarij litt. C. & 28. Ianuarij littera F. & in Annal. Ecclesiast. anno Christi* 420. *Altesserr. in Decretal. Innoc. III. in cap.*

nisi

nisi specialis de autoritat. & vs. pall. & optimè arguit *Coffetteaù aduersus Marcum Antonium de Dominis in Monarchi. sacra lib. 3. cap. 11. post princ. §. de Phrygio, & num. 27. §. Caeterum hac tàm clara, Franciscus Rothomagensis Archiepiscopus in Apologia Euangelij lib. 2. pag. 290. Acunha in decret. Gratian. distinct. 100. in principio num. 12. Albertus Rubenius de re vestiaria lib. 1. cap. 13. ad fin. Bzouius in Romano Pontifice cap. 33. §. Quoad creationem Episcoporum.*

Eiusdem momenti est pallium ab Imperatoribus quandoque concessum Apostolici Pallij concessionem potiùs confirmans. Vnum est exemplum Antymi Pseudo-Patriarchæ per Agapetum Pontificem damnati, qui pallium reddidit Imperatoribus, videns se Sede pulsum, de quo Liberatus Diaconus *cap.* 21. quia nempè inutilem expertus est Imperatoris confirmationem, & pallij concessionem. Nec enim poterat illud restituere Pontifici Romano, à quo intrusus, & schismaticus non habuit. Ideòque exemplum hoc potiùs retorquetur, vt obseruant *Author histor. Pontific. lib. 2. cap. 2. nu. 18. Coffetteaù in Monarch. Sacr. lib. 13. in discussione cap. 11. §. Video verò.* De hac damnatione *epist. 5. Agapeti inter Epist. Pontific. Anastasius Bibliothecarius in Agapet. I.*

Maurus verò Archiepiscopus Rauennas illud non habuit à Valentiniano Imperatore, vel si illud habuit, vt placuit Blondo nostro Foroliuiensi, & Rubeo in historia Rauennati, illud páritér inutile expertus est, magisque Pontificiam pallij concessionem confirmauit, cúm illud ab Ecclesia Romana recipere coactus fuerit, à qua Rauennatensis Ecclesia omnia sua priuilegia agnoscere professa est: Ex Gregorio Magno *lib. 2. epist. 54. & lib. 5. epist. 8. Baronius Annal. Eccles. anno 432. ad fin. Card. Bona Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 24. num. 16. in fin. Spondan. Epitom. Annal. Ecclesiast. eodem anno 432. Binius in Concil. in not. ad vitam S. Marci V. pallio vteretur, Gonzalez cap. 1. num. 8. de auth. & vs. pall. Coffetteaù in Monarch. Sacr. aduersùs Marcum Antonium de Dominis lib. 3. cap. 11. num. 4. §. Sed vt rursùs, Vghell. Italia Sacra in Archiepisc. Rauennat. pag. 338. & 349. tom. 1. Bzouius in Romano Pontifice cap. 33. §. falsus Hieronymus.*

Alia exempla, quæ adducuntur non referunt concessionem pallij ab Imperatoribus habitam, sed consensum illorum in eius vsu. De hoc in Antiocheno Patriarcha Anastasio Gregorius, de quo superiùs dixi in sexto sæculo. Neque credibile est de pallio Imperatoris Gregorium loqui *epist. 27. lib. 1.* cum de solo vsu pallij, non de pallij ipsius concessione Gregorius loquatur, nec de Imperatorio loqui possit, cùm infensus Imperatori esset, ac ideò eiectus Ana-

Anastasius. Consensum Imperatoris in eiusdem pallij vsu Siagrio Episcopo concessi Gregorius requisiuit *lib. 7. epist. 5.* & quando illud Arelatensi Archiepiscopo Vigilius concessit epist. vj. & vij ad Auxanium inter Concilia Binij, & aliorum Collectorum. At idem Gregorius illud misit Leandro Hispalensi Archiepiscopo, & Aureliano Arelatensi continuauit Vigilius sine Græci Principis venia, nullaque Imperatorum mentione habita; Ex Gregorio, & Pelagio epist. 10. ad Aurelianum inter Concilia Binij, & Collectorum Conciliorum, aduertunt P. *Lupus ad Canon. 27. Synochi VIII. §. Scio exempla in Not. & Schol. ad Concil. tom. 2. Petrus de Marca de Concord. Sacerdot. & Imper. lib. 6. cap. 6. sub num.* 10. Verùm assensum Imperatorum non solùm in Omophorion Episcopali Græcorum, sed etiam in Pontificio pallio gestando temporibus illis requisitum fuisse aliquando ad violentiam referri omnes sciunt. Inconsultis enim Imperatoribus non solùm Orientales Patriarchæ, & Episcopi, sed nec ipse Romanus Pontifex eligebatur. Deflet hac de causa Gregorius in 5. Psalmo Pœnitentiali versiculum eum exponens: *Tota die exprobrabant mihi inimici mei*. At iniquissimam pecuniæ exactionem Imperatori Orientis pro confirmando Pontifice debitam, Constantinus Pogonatus precibus Agathonis Pontificis aboleuit anno Christi DCLXXXI. Tribus verò ab hinc annis ab ipso Constantino; qui sibi retinuerat ius confirmandi Pontificem integram libertatem Benedictus II. est consecutus: *Anastasius Bibliothecarius, Panuinius, Ciacconius, & alij in vitis Pontificum in Agathone I. & Benedicto II. Baronius in Annal. Ecclesiast. Binius, Labbè, & alij Collectores Conciliorum in ijsdem Pontificibus*.

Igitur ex his omnibus patet ab initio vsque ad decimum tertium sæculum, in quo Lateranense Concilium sub Innocentio III. celebratum fuit pallia ab Vrbe transmissa non fuisse intrà solos fines Patriarchatus Romani, neque reliquos Patriarchas pallia ab Imperatoribus habuisse, aut de Imperatoris licentia independentèr à Romano Pontifice ea ab Altari propriæ Ecclesiæ sumpsisse vsque ad tempora Innocentij III., qui ideò Græcis ius nouum non statuit, ac in captam nuper Constantinopolim, ac Diœcesim mores latinos inducere conatus non est, vt ea omnia fuisse colligebatur ex dictis à Marco Antonio de Dominis, aduersùs quem scripserunt *Coffetteau in Monarch. Sacra lib. 3. cap. 11. Bouerius in Censura Parenetica lib. 3. eod. cap. 11. à Iacobo Rege Angliæ*, aduersùs quem scripsit *Franciscus Archiepiscopus Rothomagensis in Apologia Euangelij lib. 2. per tot. à Morneo*

aduer-

aduersùs quem scripsit *Coqueus in Antimorneo oppositione 5. in princ. oppositione 23. in fin. tom. 1.*, *& à Petro de Marca de Concordia Sacerdotij, & Imperij lib. 6. cap. 6. & 7.* Pontificiam iurisdictionem agnoscentes, idem quoad solam historiam censuerant Orthodoxi, doctique Scriptores *Franciscus Florens in Decretal. tit. de Auth. & vs. pall. pag. 27. & seqq. P. Lupus in Can. 27. Synodi* viij. §. *Altera quaestio in not. & Schol. Concilior. tom. 2. & alij*.

